



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Meyeri S. Literarum Doct. & Prof. Uxor
Christiana Sive De Conjugio Inter Duos Deque Incestu Et
Divortiis, Dissertationes Tres**

Meier, Johannes

Amstelædami, 1688

Q. I. An viduus viduam, postquam hujus filia cum illius folio se
desponsavit, in uxorem ducere possit?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40272

naturaliter adhuc posse generare, non inire debere matrimonium, ne partus subsequens illud faciat nefarium & abominabile.

XXIX. Ad *qua tum* argum. respondemus, nos minime negare, ab ejusmodi conjugii, abstinendum esse eis, quibus inde scrupulus in conscientia oritur. Quia oportet nos esse certos in actionibus nostris, an Deo placeant nec ne; & speciem mali vitare 1 Thess. v. 22. Ideoque comprivigni similesque personæ moneri possunt, non sine causa ejusmodi nuptias esse appetendas, qua data, nihil hic esse periculi remur, postquam probatum dedimus, ejusmodi personas remoto fatis consanguinitatis gradu a se invicem distare, & in sacro Codice tale matrimonium minime prohibitum videri.

XXX. Si jam quærat *primo*, An viduus viduam, postquam hujus filia cum illius filio se desponsavit, in uxorem ducere possit? R. Affir. per datam textuum expositionem Lev. xviii. 9. 11. Et ejusmodi casus a *Facult. Theol. Jenensi* permisso esse, docet Dedekennus loco ante citato, in *Append. Thes. Consil. ad vol. III. lib. III. Sect. vi. Num. 1. 2.* Et si R. Eliah ben Mose Karæus hoc neget ad com. 11. ומה הפסוק הוציא החכמים שרש אחד לאכור שני שארים על שני שארים מפני שהאיש עם בנו שני שארים והאשה עם בתה שני שארים: ואין הפרש בין שיקח *Ex hoc versu Sapientes unam radicem seu regulam elicuere, ut duos propinquos duobus propinquis prohiberent, quandoquidem vir cum filio suo bini sunt propinqui, & femina cum filia bina propinqua; nec refert, sive pater primo matrem, siue filius primo filiam accipiat.*

XXXI. *Secundo Q.* An novercæ sororis filiam ducere liceat? Nemo dubitaverit, quin hic affirmative sit respondendum. Si enim cum novercæ filia matrimonium contrahere liceat, qui secundus est gradus affinitatis, multo magis cum novercæ sororis filia, ubi tertius demum gradus est, id erit licitum. *Tertio*, si quærat, licitumne sit viduæ, mariti sororis uterinæ vel consanguinei filio nubere? R. Jure divino hujusmodi nuptias non esse prohibitas, tutius tamen esse iis abstinere, ob rationes in similibus casibus allegatas. *Quarto*, an pater & filius duas sorores ducere, & vicissim duæ sorores patri & filio nubere; 2. an mater & filia duobus fratribus nubere, & vicissim; 3. an pater & filius matrem & filiam ducere & vicissim; 4. an pater & filius sororem & matrem matrimonio sibi jungere & vicissim. 5. an mater & filius fratrem & sororem sibi sociare, & vicissim. 6. an duo fratres duas sorores ducere, & vicissim. 7. an frater & soror sororem & fratrem